

petiisset, Regem, quæcumque e Republica essent, ultro semper facturum pollicitus; Patres ad Contarenum Senatusconsulto literas dedere, quibus una cum triremi captivum dimittere jubebatur; atque Alberto Baduario oratori jussere, ut quæ in ejus gratiam decreta essent, Philippo significaret; ablata Turcarum atque Judæorum mercimonia restitui, ac post ne quid ejusmodi accideret, severiori edicto caveri postularet. Rex, qui ea, quæ evenerant, ægre admodum tulerat, ejusmodi ex Senatusconsulto voluptatem cepit, ut Patrum prudentiam summis laudibus efferendo, gratias per suum oratorem Senatui egerit, prædas omnes statim reddi, Bonavidiumque Neapoli carcere includi jussit.

Byzantium nuntio earum rerum perlato, Mehemetes Bassa, Joanne Corrario vocato, multa de Hispanis conquestus, ut traderetur sibi triremis cum captivo petit. Corrarius, *negotium ad Senatum spectare*, inquit, *ab eo pœnas, de Bonavidio, utpote a suis capto, sumendas. Quis enim ejusmodi scelera magis quam Veneti, abominaretur? Quis acrius Venetis prædonum licentiam coercuisset? sæpius ut iis rebus prospiceretur, cum Hispaniarum Rege actum; nullum non lapidem movisse, ut tuta navigantibus maria paterent.* Sed antequam Byzantio literæ afferrentur jam Senatusconsulto facto, quæ ad id impulissent, Mehemeti Corrarius exponere jussus fuerat: *amici Regis triremem, & captivum aliis tradendum minime Senatui censuisse; haud secus, si res Amurathis ageretur, facturum.* Hæc a Corrario dicta cum æqua esse Bassa intelligeret, captivos, eorumque bona, quæ Contareni triremi adservabantur, petiit: statimque, ut ea redderentur, latum. Fuerant sane post insignem illam novissimam cladem Turcis illatam maritimæ eorum opes haud parum obtritæ ac fractæ, ut neque triremium numero, neque navalium sociorum nautarumque virtute ac peritia præstarent. Fame quoque afflicto Byzantio pestilentia accesserat, quæ in plebem grassata, ingentem hominum multitudinem absumpserat. Persarum insuper motus alio Amurathis curas avocabant. Itaque Uluzzalium cum triremibus tantum sexaginta egressus, nihil adversus Christianos moliri potuit.

*Turce Bonavidii & ejus triremem à Corrario legatos petunt.*

Ceterum omnis in Gallia & in Belgio vel armorum strepitus,